

8. Et tantò quidem intolerabilior est Articuli Quarti variatio, rectius depravatio; quanto foedriorem errorem, de Evangelio arguente peccata, manifestè in crustat.

9. Sic vicesimi mutatio, etsi nihil ipsa in se erroris habet: ob nimiam tamen, ac intempestivam prolixitatem: ut & ob cavillationes, quibus ansam ea subministravit, meritò Prototypi puritati & candori cedere tenetur.

10. Causam variationis hujus instituende justam Autorem habuisse nonnulli clamitant, ut nimirum hoc pacto primariam illam Controversiam de justificatione hominis, accuratius explicaret.

11. At verò frivolum hoc est, & vero minimè consentaneum: Quid enim? An non hoc ipsum jam antè in Apologia ad satietatem usque fuit præstitum: ut nova declaratione & quidem tali, quæ errorum haud esset vacua, in ipsis Articulis Confessionis nostræ, decennio demùm post instituenda, minimè fuerit opus.

12. Missa igitur adulterina editione, in Prototypi sinceritate meritò acquiescimus; quam falsis Pontificiorum dogmatis directè ac unice fuisse oppositam, nobiscum ipsi quoque agnoscunt Pontificij.

13. Vnde factum, ut Monachus à Daventria hunc solum Articulum, dissensionum; Schismatum, errorumq; mundo ansam de-